

divinam, quæ infinita est, ita conjunxit, ut non solum intellectui humano peccatorum foeditatem & pœnas promeritas, seu mala hujus & alterius vitæ, cognoscenda exhibere, sed & corda in peccatis obdurata, instar *mallei petram conterentis*, contere, seu animis, quibus peccata sua hætenus placuerunt, terrores graviores incutere, adeoque excussa securitate carnali, & libidine peccandi extincta displicentiam peccatorum doloremque acriorem excitare queat. Vid. *Jerem. XXIII, 29*. Dum autem hæc fiunt, oritur sane in homine non solum cogitatio de pœnis infernalibus, sed & metus ac horror earundem, ita ut ipsa ista mala homo quodammodo præsentiscat.

§. XXXIII. Solet autem istud contingere, non solum quando homini peccatori opera *Ministorum* Ecclesiæ peculiariter annunciatur maledictio Legis, aut quando ea *scripto* exhibita ab ipso legitur atque expenditur, & hac ratione ipse, ut peccato, sic maledictioni Legis & iræ divinæ, obnoxius esse convincitur: verum etiam quando homo, cui Lex quodammodo per naturale lumen intellectus cognita, & velut implantata est; alias autem forte per prædicationem doctrinæ in Scripturis Sacris contentæ, paulo plenius instillata, interim vero notitia illa, intercurrentibus peccatis, aliquandiu oblitterata fuit; immisso quodam *infortunio casu* adverso v. g. morbo, vulnere, ignominia, jactura opum, aut periculo qualicunque, percellitur; inhibito peccatorum cursu, aut quasi turbato somno, ut in se descendat, movetur, unde agnitis peccatis, *ex vi Legis*, hætenus velut sub cineribus latentis, flamma ista exoriri, & ipsas medullas animæ, ut sic loquar, adurere potest.

§. XXXIV. Quemadmodum vero alias ad tranquillandam hominis peccatoris mentem, & prægustum vitæ æternæ gaudiumque spirituale excitandum, non obstante maledictione Legis, fides in Christum & hinc nata cognitio Dei, tanquam reconciliati, propitii ac vitam æternam donaturi &c. adiumento est, ac sufficit: ita ex adverso Lex sua maledictione prægustum damnationis tunc parit, quando mens homi-
nis